QUAEDAM
DE STAPHYLOMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CONSTANTINUS HOFFMANN,
MERSEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
P. KOPS, MED. UTRIUSQUE DR.
F. UNGER, MED. UTRIUSQUE DR.
J. BRAUN, MED. UTRIUSQUE DR.

BEROLINI,
TYPIS BRANDESIANIS ET KLEWERTIANIS.

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDO

HAS QUALESCUNQUE PAGELLAS,

GRATA MENTE

D. D. D.

PIETAS FILII.

Est nobis voluisse satis; nec munera parva
Respueris. Tibull.

Quam diversos ac dissimiles inter se oculorum morbos et veteres et recentiores medici staphylomatis nomine comprehenderint, satis elucet ex descriptionibus, quae de hoc morbi genere exstant. Quae ipsa varietas et sententiarum discrepantia per se jam satis superque indicant, rem nondum in aprico positam et multis tenebris adhuc obtectam esse; dum scilicet omnis fere aetatis medici exterioris tantum oculi deformitatis respectum habebant, internas vero in oculo staphylomatoso exortas mutationes et morbosas ad malum gignendum necessarias conditiones negligebant, quas recentioris demum aevi scriptores curabant. Ut vero in conspectum veniat, quid veteribus in cognoscenda natura et indole hujus morbi, quid recentioribus debeamus, nec inutile nec superfluum fore, spero, si, priusquam rem ipsam aggredior, brevi-

bus diversas variorum de staphylomate scriptorum sententias adjecerim.

Primus omnium Hippocrates [1]) de hoc morbo audiendus est, qui in libro de locis in homine de oculi membranarum affectionibus haec dicit: Μηνιγγες δε τρεις εισιν αι τους ὀφθαλμους φυλασσουσαι· ἡ μεν ἐπανω, παχυτερη· ἡ δε δια μεσου, λεπτοτερη· ἡ δε τριτη, λεπτη, ἡ το ὑγρον φυλασσουσα· τουτων ἡ μεν ἐπανω και παχυτατη, νουσος ἠν κωφωθῃ· ἡ δε δια μεσου ἐπικινδυνος καὶ ἁυτη, οταν ῥαγῃ, ἐξεχει ὁιον κυστις: (membranae vero tres sunt, oculos ipsos custodientes, superna quidem crassior, media vero tenuior, et tertia tenuis, quae humorem conservat. Ex his superior quidem et crassissima, si laesa fuerit, morbum facit, media vero ipsa periculosa est, et ubi rupta fuerit, prominet foras, veluti vesica). Hic vero locus, quem multi medici ad staphyloma retulerunt, atque in quo Hippocratem hujus morbi mentionem primum fecisse putant, ad ceratocelen potius pertinere mihi videtur. Nam in staphylomate corneae nulla tunica est rupta et in staphylomate iridis, quod vocant, omnibus superficiei anterioris oculi membranis ruptis iris foras prominet intime connexa cum toto istius hiatus, quo protrusa est, ambitu.

---

1) Hippocrates de locis in homine. Edit. Foesii pag. 408.

Celsus vero primus est, qui voce staphylomatis utitur et descriptionem succinctam nobis reliquit. Ille [1]) haec habet, quae digna sunt, ut referantur: In ipso oculo nonnunquam summa attollitur tunica, sive ruptis intus membranis aliquibus, sive laxatis, et similis figura acino fit, unde id σταφυλωμα Graeci vocant:

Ex hoc loco, quem si recte intelligo, patet, Celsum sub voce „summa tunica, quae attollitur" corneam audire, et sub membranis intus ruptis sive laxatis iridem et uveam, inde ei commutationem esse exortam inter ceratocelen et prolapsum iridis cum staphylomate corneae.

Galenus [2]) variis in locis staphylomatis quidem mentionem facit, curationem ejus attingit, nuspiam tamen claris et distinctis verbis, quid staphyloma sit, exprimit; nihilominus ejus verba afferam: ἐστιν ἐπαρμα κατα τον της κορης τοπον, ἐμφερες ῥαγι σταφυλης: (staphyloma est elatio in pupillae loco exsurgens uvae acino consimilis) et alio loco [3]) dicit, quae sequuntur: τα δε σταφυλωματα καλουμενα τα μεν τῃ θεσει μονῃ, τα δε τῃ διαθεσει παρα φυσιν ἐστιν: (qui vero [tumores] staphylomata no-

1) Celsus de re medica libr. VII. cap. VII.

2) Galenus de method. medend. lib. II. cap. II.

3) Galenus in fine capitis de tumoribus.

minantur, eorum alii saltem positu, alii autem adfectione praeter naturam sunt). Günzius [1]) Ingrassiam sequens, haec verba ita interpretatur, ut ad prius genus eos tumores referat, qui ex cornea praeter naturam distenta, eveniunt, ad alterum, quos ulcus fecit, quo summa oculi tunica exesa adeoque extenuata sit, ut ab aqueo humore in tumorem paulatim consurgentem attollatur.

Ex his atque aliis locis Galeni [2]), quibus haud paucos addere possim, patet iterum, staphyloma corneae cum ceratocele esse confusum.

Reliqui antiquitatis medici, qui uberius de staphylomate verba fecere, nil ad notitiam naturae et indolis staphylomatis vere amplificandam, fecere, si fortasse exceperis Aetium, Paulum Aeginetam et Actuarium; ille [3]) enim quid myocephalon sit? dilucide exposuit, et plures staphylomatum differentias statuit, quarum prima ea est, ubi ob humores sub corneae laminis collectos ipsa haec tunica elevatur et eminentiam acino uvae similem exhibet; secunda vero in eo posita est, ut per illius tunicae rupturam magna pars tunicae uvaeformis prolaba-

1) Günzius de staphylomate. Lips. 1748.

2) Galenus de causis morbor. Cl. 3. cap. 10. et de different. morb. Cl. 3. cap. 13.

3) Aetius tetrabiblion II., serm. 3. cap. 33.

tur. In illa specie staphylomatis albida tunicae corniformis elevatio deprehenditur; in hac coeruleum seu nigrum cernimus colorem.

Paulus Aegineta [1]) vero et Actuarius [2]) altius jam in naturam morbi nostri inquisiverunt, et indolem staphylomatis in curvatione tam corniformis tunicae, quam uvaeformis debilitatae, modo per fluxionem, modo per exulcerationem facta posuerunt, et varias formas et gradus variis nominibus insigniverunt, ita ut (ἡ προπτωσις) prolapsus, qui muscae caput referret, myocephalon, ambitu major vero, instar uvae acini *σταφυλωμα* diceretur. Ubi vero ita succrevit, ut palpebras transiliret, *μηλον*, denique vero, ubi palpebrarum pondere compressa degenerationem quasi subierat in callum complanatum, clavus, helos (ὁ ἡλος) nuncupabatur.

Ex arabicis medicis Avicennam [1]) praeterire non possum, qui Paulum Aeginetam in genere quidem secutus, corneae staphyloma ab iridis prolapsu satis acute distinguit hisce verbis: quandoque fit in omnibus partibus corneae eminentia ex ea ipsa et assimilatur vesicis:

Ex reliquorum vero, qui inter Arabes floruere,

---

1) Paul. Aegineta lib. VI., cap. 19. et lib. III. cap. 22.
2) Actuarius de meth. med. lib. II. cap. 7.
3) Avicenna lib. III. fem. III. Tr. II. cap. 6.

medicorum commentis, Mesues [1]), Rhazes [2]), Albucasis [3]), Jesu Haly [4]), non est, quod referam, quippe quae Graecorum modo continent sententias.

Ex barbaris medicis vero Ambrosium Paraeum [5]) audiamus, qui cum antecessoribus sub staphylomate corneae staphyloma aeque ac iridis prolapsum intelligit, atque in iis discernendis colorem eminentiae respicit, eumque in altero staphylomate albescenti immaturo uvae acino, in altero autem eidem nigricanti maturo similem esse affirmat.

Quod ad reliquorum hujus temporis scriptorum sententias, uti Constantini Africani [6]), Gordonii [7]), Valesci [8]), Guidonis [9]), Vegae [10]), Vidi Vidii [11]), Fabricii ab Aquapendente [12]), missas has faciamus, qui nil nisi recoctam superiorum scriptorum cramben expromserunt.

---

1) Medic. practical lib. III. cap. 12.
2) Lib. IX. ad Almansor cap. 19.
3) Method. med. lib. II. cap. 21.
4) De Oculis tract. II. cap. 60. 65. 66.
5) Opp. chirurg. lib. XVI. cap. de staphylomate.
6) Loc. comment. med. lib. IX. cap. 15.
7) Lilium med. part. III. rnbr. 3.
8) Philon pharm. et chirurg. lib. II. cap. 17.
9) Chirurg. part. II. cap. 2.
10) Art. med. lib. III. sect. 2. cap. 7.
11) De curat. membr. lib. IV. cap. 1.
12) Operat. chirurg. pag. 25. edit. 1641.

Quid vero a nostro aevo proximi medici in staphylomatis cognitione profecerint, vix multum valet, quod commemorem. Neque enim modo variarum aegritudinum, uno staphylomatis nomine relatarum sylva vix ac ne vix quidem collucata, verum etiam numero amplificata, neutiquam luculento ordine lustrata, sed singulis, etsi toto coelo differant, invicem permixtis, res nostra parum profecisse mihi videtur, quippe quam exponentes, ipsi hujus saeculi medicorum principes priorum vestigia fere penitus premebant. Etenim ipse Iohannes Zacharias Platner [1]) haud adfert, quod intersit inter eum iridis prolapsum, qui acino similem figuram refert et verum staphyloma, ac reapse utrumque morbum confundit. Quem sigillatim melius disquisitum et constitutum, qualem nunc habemus, nuperioribus demum temporibus accepimus.

Jacobus Guillemeau [2]) primus exstat, qui staphyloma corneae totale, et St. Yves [3]), qui staphyloma scleroticae statuit.

Guenzius [4]) staphyloma generi herniarum adnumerat, nimirum aqua in sinum, membranis cor-

---

1) Institution. chirurg. Lips. 1745. p. 376.

2) Traité de maladies de l'oeil.

3) Nouveau traité des maladies des yeux. Paris. 1722.

4) Dissertat. de staphylomate. Lips. 1748.

neae sive ruptis sive laxatis exhibitum, propulsa, ad istud genus morborum nostrum putans pertinere.

At vero, ne omnibus singulis recensitis, L. B. patientia abuti videar, Mauchartii [1]), Sauvagesii [2]), Bernsteinii [3]), sententiis praetermissis, liceat modo mentionem injicere ancipitis commentationis, cujus auctores Janin [4]) et Bell [5]) in ambiguis, dubiis ac incertis, suspensum staphyloma reliquerunt. Confundit enim alter staphyloma cum iridis et humoris aquei tunicae prolapsu, alter cum hydrope et hypopyo.

Richter [6]) summus auctor ac sui aevi chirurgiae princeps, corneam in staphylomate crassiorem, cameram oculi anteriorem angustiorem semper redditam, ita ut haec paene evanesceret, primus est, qui moneat ex cornea nimirum extrorsum et introrsum intumescente. Idem deinde discrimen sistit

---

1) Dissert. de staphylomate. Tub. 1748.

2) Nosolog. meth. Tom. 1.

3) Praktisches Handbuch für Wundärzte. Leipz. 1800. Tom. III.

4) Beobachtungen über das Auge und dessen Krankheiten. Berlin 1776. Achte Abtheilung. pag. 343.

5) Lehrbuch der Wundarzneikunst. Leipz. 1792.

6) Dissert. de staphylomate ejus observat. chirurg. fasc. II. Goett. 1776 und Anfangsgründe der Wundarzneikunst Bd. 3. pag. 153.

inter staphyloma totale, quo tota cornea correpta est, et partiale, cui vero excrescentias alius generis solidas adnumerat. Cujus sententiae asseclae Scarpa [1]), Delpechius [2]), Callisen [3]), Cooper [4]) fuere. Admonet vero Scarpa, discrimen aliquod intercedere inter staphyloma adultorum et infantum; cum in adultorum staphylomatibus corneae crassities, naturalem ne aequans quidem, nedum superans deprehendatur. Quam vero mutationem positam esse concedit in praegresso morbo ac aegrotantis aetate, quippe cum oculus adultorum saepius hydrope correptus inveniatur.

Spangenbergius [5]) staphyloma non nisi tunica conjunctiva prius destructa, oriri posse contendit.

Beerius [6]), cui accuratiorem et veriorem hujus morbi notitiam nostra demum aetate debemus,

---

1) Praktische Abhandlungen über Augenkrankheiten nach der Französisch. Ausg. Tom. II. pag. 182.

2) Precis élémentaire des malad. reput. chirurg. Paris. 1816, Th. 3 pag. 394.

3) Systema chirurg. hodiern. 1817. Edit. IV. Tom. II. pag. 252.

4) Dictionary of pract. Surgery pag. 857.

5) Ueber die Entstehung der Form des Hornhautstaphylom's vid. Horn's neues Archiv. Bd. 9. Hft. 1. pag. 45.

6) Ansichten der staphylomatösen Metamorphosen des Auges, Wien 1805 und Lehre von den Augenkrankheiten. Wien 1792, Theil I., pag. 375.

haec habet: staphyloma est insolita quaevis et ad normalem oculi functionem haud necessara, in quacunque bulbi regione et loco prominentia, distinctis arctisque circumscripta limitibus, atque ab expansis protrusisque membranis oculi bulbo propriis, effecta.

Schmalz [1]) haec dicit de staphylomate: est distincte circumscripta, solida, duriuscula, corneae protuberantia opaca, nullum aut paucum humorem continens, quae non relabitur, et visum plane ac fere absque omni spe restitutionis turbat.

Beck [2]) et Rau [3]) nuperrimis temporibus, exceptis Friedrich [4]), Riemann [5]), Hoffbauer [6]), Glaser [7]), ii sunt, qui rem nostram optime inquisiverunt, et quorum, quae scripserunt, digna sunt, quae

---

1) Versuch einer medizinischen chirurg. Diagnostik in Tabellen 3. Auflage. Dresden. 1816, pag. 79.

2) Handbuch der Augenheilkunde etc. Heidelberg. 1823. pag. 210 et Ueber das Totalstaphylom der Hornhaut vid. Neues Chiron von Textor. Bd. I. Hft. 1. pag. 11.

3) Erkenntniss, Entstehung, und Heilung des Staphylom's des menschlichen Auges. Heidelberg und Leipzig. 1828. pag. 25.

4) De staphylomat. dissert. inaug. Berolin. 1821.

5) Staphylom. nosol. specimen, Berolin. 1822.

6) Dissertat. inaugural. de cornea ejusque morbis. Berolin. 1828.

6) Dissertat. inaugural. de staphylomate. Landshut. 1823.

contracta reddantur. Ille tum staphyloma locum habere contendit, si cornea tnmorem hypertrophia ortum, plus minusve inter palpebras prominentem, coloris grisei, interdum margaritacei instar splendentis praebet; ipsa faciei suae pellucidae inde omnino expers. Rau ejusdem fere mentis est; existimat enim, staphyloma esse eminentiam praeter naturam in aliqua bulbi oculi regione, ejusque propriam tunicarum, partim hypervegetationi nimiae partim diminutae cohaesioni debens originem.

Ex hisce diversis de staphylomate collectis sententiis variorum scriptorum, qui subtilius ac diligentius staphylomatis naturae ac indoli indagandae operam navaverunt, dilucide patet, praecipue duos oculorum morbos esse, qui ad hunc usque diem, omnium propemodum consensu, staphylomatis nomine exornantur. Quorum quidem alter positus est in circumscripta corneae cum iride concretae et pelluciditate sua orbatae prominentia, hunc staphyloma corneae vocant; alter in prolapsu iridis ex corneae hiatu, sive ulcere sive cultro facto.

Staphyloma, quod *racemosum* dicunt, ad rarissimos oculorum morbos pertinens, perfectum refert iridis prolapsum ex cornea, multis in locis ulcusculis exesa; itaque a simplici iridis prolapsu tantummodo gradu differt.

Sunt etiam, qui *staphylomatis scleroticae*

mentionem faciant, quo nomine hujus membranae tumorem subcoerulei coloris denotant, plus minusve prominentem. Cujus autem morbi natura non semper una est eademque. Modo enim varices in vasis choroideae nati scleroticam attollunt, atque ita staphyloma scleroticae formant (cujus generis ea sunt, quae in antica oculi bulbi facie observantur), modo eminentiam hujus membranae deprehendimus, quae cum totius oculi labe et visu amisso conjuncta est, nec aliud quidquam offert, nisi circumscriptam ipsarum oculi membranarum in ista parte extenuationem. Huic alteri staphylomatis generi ea sunt adnumeranda, quae in postica scleroticae parte locum habent, in orbita recondita, a Scarpa [1]) nec non a Demourio [2]) descripta. Attamen hujus, quem modo diximus morbum, origo et natura nondum accurate sunt perspectae, cum in occulta oculi parte locum habeat

1) Praktische Abhandlungen über die Augenkrankheiten nach dem Französischen des Leveille, übers. von Mertens, 2. Theil, pag. 193 etc.

2) Traité des maladies des Yeux. Tom 1. pag. 330. Qui pag. 331 et haec, quae notatu haud indigna mihi videntur, addit: Il doit arriver quelquefois, que l'on croit avoir à combattre une amaurose, tandis qu'il s'agit d'un amincissement et d'une protuberance peut être fort peu etendue de quelque partie laterale ou postérieure non visible de la sclerotique.

beat et hucusque in mortuis tantum cognosci potuerit.

Staphyloma iridis, corporis ciliaris cum staphylomate scleroticae communes habet tam originem quam naturam, easdemque sibi necessarias conditiones, itaque loco tantum modo differt, quo in conspectum venit.

Denique Francogallorum et Italorum medici peculiari cuidam morbo corneae, coni instar elatae, atque in centro paulo obscuratae, caeterum prorsus sanae, nomen *staphylomatis conici* [1]) dederunt, qui inflammatione fere nulla antegressa, vel sola sanguinis congestione efficitur, lente procedit, iris haud ita graviter affecta est, nec unquam cum cornea coalescit. Hic status morbosus ad meram hypertrophiam corneae cum adaucta humoris aquei secretione, non ad Staphyloma referri potest. Summo jure igitur, ut mihi quidem videtur, ab Himly [2]) huic morbo hyperceratosis nomen inditum est, simul naturam et indolem morbi indicans.

His igitur morbis, qui nostra aetate staphylomatis nomine exornantur, breviter commemoratis,

---

1) Demourius loc. cit. pag. 316. vocat staphylome transparent, staphyloma pellucidum conicum Leveille, Extension's staphylom von Graefe, Cornea conical formed Wardrop.

2) Bibliothek für Ophthalmologie Bd. I., St. 2., S. 401.

hanc quaestionem liceat mihi prof rre, eamque solvere diligentius: cuinam ex istis oculorum vitiis jure meritoque nomen staphylomatis tribuendum sit; cuinam vero abrogandum? Neque vero huic proposito satisfacere possimus, nisi stabilita antea ipsius morbi notione.

Quum vero ex mea quidem sententia, uti in quaque definitione statuenda, sic in ea staphylomatis tradenda, hoc curandum sit, ut ibi ea comprehendantur, quae illi propria sunt, quibusque primo intuitu hic oculi morbus ab aliis similibus distingui possit. Itaque non admodum a vero alienum me fore, existimo, si partibus Beerii, Rau et Beekii addictus contendo, staphyloma esse corneae statum processu inflammationis mixtae adductum, in quo eminentia vel totalis, vel partialis omnium lamellarum corneae cum iride concretae atque obscuratae vel incrassatae vel attenuatae cernitur, non extensione mechanica, sed partim cohaesione diminuta, partim alienatae reproductionis processu effecta.

Notione morbi jam stabilita, ad quaestionem: cui nam vitio staphylomatis nomen tribuendum sit? solvendam me accingo.

Illud ipsum staphylomatis nomen, cum desumptum sit a similitudine, quam quoad formam cum acino vinaceo habeat oculus isto modo cor reptus, in morbum quoque ipsi simillimae figurae,

nimirum staphyloma corneae potest transferri. Iridis autem prolapsum equidem non hoc nomine nuncupaverim, cum morbus sit longe alius, qui tantummodo, si per longius tempus duraverit, prolapsaeque iridis pars satis magna cum corneae perforatae labiis coaluerit, exiguam similitudinem cum oculo staphylomatoso habet.

Ad staphyloma racemosum quod attinet, hoc nomen non ausim mutare; nam, quamquam cum iridis prolapsu unus idemque sit, addito tamen cognomine racemosi, a vulgari corneae staphylomate satis discernitur. At scleroticae, corporis ciliaris staphylomata neque forma, neque genuina notione morbi, revera ex justiore censu staphylomatosi vocati naturae respondent; quam ob rem ipsis hisce singulis morbis acurratius cognitis, ista nomina cum aliis, ut mihi videtur, aptius eligendis forent commutanda.

Quod vero ad staphylomatis attinet aetiologiam, quam in superiori hujus libelli parte pluries data occasione tetigimus, vix ac ne vix quidem tenuis nostrae virilis partis esse duximus, fusius de hac staphylomatis nosologiae provincia vel de prognosi curave disserere. Neque enim in proposito nobis fuerat, cunctam hujus memorabilis morbi historiam, quasi omnibus numeris absolvere, quibus ne attingendis quidem sufficere profecto nostri juveniles

humeri vix valent, sed potius hanc rem, qua officio ex antiqua lege, qua stringuntur medici ineuntes, nobis imposito, faciamus satis, eo consilio elegimus, quo ad historiam ejus naturalem, ut ita dicam, paucula monitu satis digna conferamus, quae citra inanes conjecturas et vociferationes juvenili levitate facile oriundas, meditationis de re tam ardua quantulamcunque symbolam tribuant. Quae quidem e practico, ut ajunt, vel pathologiae vel therapiae foro desumpta vix nisi a classicis viris tam doctrina, quam experientia insignibus arti potest redundare, quam utramque virtutem vana titubatione jactare nostram non allicit ambitionem: etenim coctam saepius recoquere cramben rescribendis toties scriptis haud minus nos taedebat, quam fictitia canere tirocinia factitio et sterili theoremate composita. Quam in semitam a recta deviam neutram abire vel aberrare, ut candide eloquamur, noluimus, qua propter satius habuimus (si quidem e proprio nostro artis penu, quam ne primis quidem labris attigimus, nihil est, quod in ejus commodum proferamus) hic tenui opusculo fines imponere, L. B., si quis nobis contingat, indulgentiam juvenili operae iterum iterumque summa, qua par est, enixe petentes observantia.

BREVIARIUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Anno MDCCCIV die V Iduum Junii ego Constantinus Hoffmann confessioni evangelicae addictus, natus sum Merseburgi patre Johanne Christiano Medicinae Doctore, mater e Rosina Elisabetha e gente Schoelzicheriana, quorum patentum carissimorum singularem, quo me amplexi sunt, amorem non possum non alta voce celebrare, iisque vitam longissimam atque felicissimam ex intimo pectore apprecari. Primis litterarum ac religionis elementis intra parietes privatos imbutus sum a praeceptoribus, quibus ita profeci, ut paulo post discipulis Gymnasii Merseburgensis adscriptus, doctrina et eruditione virorum praeclarissimorum Hen-

nicke, qui jam fato cessit, Wieck, Landvogt, Haun, Steinmetz, quos grato et sincero animo veneror, frui possem. Horum laudabili institutione et insigni humanitate factum est, ut, sexennio praeterlapso, venia ad altiora in academia animum applicandi dignissimus censerer. Itaque sic instructus anno MDCCCXXI. ab Ill. Beckio, universitatem litterariam Lipsiensem tum regente, in discentium numerum sum relatus. Jam cum medicinae nomen dedissem, iis primum omnium studui, quibus ad concipiendam artem imbui ante et praeparari mentem decet. Qua re primum professorum illustrissimorum praelectiones audivi:

Ex ordine philosophico: Cl. Krug de logica, metaphysica et aesthetica, Ill. Beck, Cl. Beyer, et Clodius de philologicis et historicis, Cl. Heinroth de anthropologia et psychologia. Ill. Schwaegrichen de re herbaria, rerum naturalium historia et mineralogia, Ill. Gilbert, qui jam fato cessit, de physicis et chemicis, sicuti etiam Exp. Eschenbach de chemicis.

Ex ordine medico: Ill. Puchelt de encyclopaedia, methodologia atque medicinae historia, de pathologia et therapia generali et speciali, Cl. Kunze de plantis medicatis, Cl. Weber et Bock de anatomia tam generali quam speciali, de anatomia comparata et physiologia. Utrumque praeceptorem habui in arte cadavera dissecandi; Cl. Cerutti de

anatomia pathologica, Ill. Joerg de arte obstetricia, tam theoretica quam practica, Cl. Haase de pharmacologia, Exp. Eschenbach de pharmacia, Cl. Radius de ophthalmologia, Ill. Clarus de therapia special., Cl. Kuhl de chirurgia, de ophthalmiatrice et de akiurgia. Praeterea frequentavi praelectiones Ill. Joerg de morbis infantilibus. De arte fascias secundum chirurgiae leges applicandi et oculorum morbos instrumentorum ope tollendi Cl. Carus exponentem audivi. In instituto Regio clinico chirurgico per annum integrum et quod excurrit Ill. Clarus, Cl. Kuhl et Cl. Wendler ad aegrotorum lectulos e rationalis methodi regulis morbos fugare me docuerunt. Institutum obstetricium, quod sub auspiciis Ill. Joerg floret, per annum unum atque dimidium adii. Caeterum me etiam exinde haud exiguum cepisse laetor fructum, quod per annum integrum et quod excurrit, policlinici, cui praeest Cl. Cerutti, membris fui adscriptus. Policlinicum ophthalmiatricum, quod floret duce Exp. Ritterich, etiam frequentavi.

Jam non inutile fore ratus, si et alios academiae doctores audirem, Berolinum adii anno MDCCCXXV. Viris Ill. Rust, Kluge, de Graefe adsedi akiurgiam tradentibus. Ill. Jüngken artem fascias rite imponendi, Ill. Kluge doctrinam de ossibus fractis et luxatis me docuerunt. Ill. Rust chi-

rurgiam tam generalem quam specialem mihi tradidit, Ill. Behrends, qui jam fato cessit, de aphorismis Hipp. disserentem audivi. Caeterum instituta clinica Virorum Ill. Behrends, Rust, Bartels, de Graefe, de Siebold, Jüngken, Kluge eo, quo par est, studio, frequentavi, aegrotosque ipse tractavi.

Haec fere de vita academica praesertim, hactenus peracta, proferenda mihi videbantur, ad quam, si nunc respicio, non possum, quin fautoribus atque praeceptoribus optime de me meritis, pro eximia, qua me ornaverunt, benevolentia atque humanitate gratias persolvam, quam possum maximas, eorumque permulta atque insignia de me merita memoria persequar sempiterna.

Tentaminibus vero, philosophico et medico nec non examine rigoroso feliciter superatis, spero, fore ut, dissertatione conscripta thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Apud infantes dentitione febrili laborantes, lingua etiam oblimata, aliisque vomitionis indicationibus locum habentibus, saepe remedia laxantia emeticis esse praeferenda.

2. Methodus Civialis interdum, sectioni praeferri potest.

3. Gravidae novae monstrosaeque rei adspectu fetui vitium contrahere non possunt.

4. Celsi sententiam: melius esse remedium anceps in usum vocare, quam nullum: comprobo.

5. In cataractae extractione keratomia deorsum versus praeferenda.
